



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

4. Nulli injuriam fieri, si ad mortalem vitam reuocatur; cùm id ei prodesse possit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

dormiuit. Pari modo Marcellum S. Fortunati Episcopi Tudertini precibus à morte suscitatum memorat D. Gregorius, ingemuisse & dixisse: *O quid fecisti? ò quid fecisti?* Neque aliter ad vitam reductus ingemuit S. Saluius Episcopus, vt copiosè refert Gregorius Turonensis. Eiuscemodi exempla extant complura, è quibus constat, Deum amantibus mortem vità fuisse gratiorem; idque non tantum, quia, per mortem, hac vitæ molestia liberatis, ad pacem ac quietem via est, qui esset amor concupiscentiæ; sed præcipuè, quia corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, vt nō ita possit cælestia cogitare, sed ad corporis necessitates & concupiscentias deprimatur; in cælo autem his vinculis libera Deum purè & cōtinuò potest amare; qui est amicitia amor. Ob quem etiam, si necesse est, sancti parati sunt, diutiùs inter homines, propter homines iuuandos, vitam trahere. Vnde, teste Possidonio, laudare solebat S. Augustinus sententiam S. Ambrosij è vita discessuri, qua suis flentibus ac rogantibus, vt à Deo longiorem posceret vitam, respondit: *Non sic vixi, ut pudeat me, inter vos, viuere: sed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus.* Nempe, ad vtrumque paratus, noluit vitam precibus prorogare, vt eam, cum meliore vita, commutaret.

S. Greg. l. 1.  
dial. c. 2.  
S. Greg. Tu-  
ron. lib. 7.  
Franc.

Possidon. in  
vita S. Au-  
gustini. c. 27

IV.  
Luc. 8. 5.  
Luc. 7. 11.  
Ioan. 11. 43.  
Metth. 27.  
53.

Neque idcirco putandus est Christus vel iniuriam, vel molestiam intulisse ijs, quos à morte ad vitam excitauit; vt cum Iairo principi Synagoge filiam, & viduè filium, ante ciuitatem Naim; ac sororibus fratrem Lazarum; illam domi & de lecto; illum foris, & de capulo; istum in campis, & de sepulchro reddidit: item quando *monimenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Tunc animæ horum excitorum nondum Dei visione fruebantur, faciliè igitur vel è limbo Patrum, vel è Purgatorio, se ad corpus retrahi passæ sunt, vt vel hîc satisfacere, vel merita sua possent accumulare. Quod etiam de ijs, qui in veteri Testamento, reuixerunt, dici potest; & de ijs quoque, quos alij sancti, in nouo Testamento, precibus denuò animauerunt. Certè, quos constat, è Purgatorio rediisse, libenter, in hac vita, longis annis varios labores ac cruciatus sustinuerunt, vt pœnas alterius vitæ exhaurirent. Nulli cælo addicti in vitam mortalem sunt restituti. Ad paucos dies, immo horas his restitui, esset graue: & mallent vtiq; denuò mori, quàm consortio carere beatorum.

V.

Ex quibus omnibus duo deduco, Primum, posse, sine iniuria,